

§. IV. (2) Personae cum quadam restrictione ac limitatione in censum veniant, plerique jurati Adversarii, quos Lutherus acriter confutavit, non ut hostes ipsius privati, verum, quod magis est, ut publici Ecclesiae hostes, & divinae veritatis oppressores aspiciendi sunt. Humillimum debitumque honorem Carolo V. Imperatori Augusto nunquam denegavit, cum tamen Deo magis, quam hominibus obediendum esse videret, majori deinceps libertate usus est, imprimis, postquam sine ulla justa causa proscriptus ad defendendam Dei causam non admitteretur, neque tamen ideo a veneratione & cultu, quam Caesaris majestati debebat, ullatenus recessit. De Henrico VIII, Angliae Rege, res sic se habebat. Ipse Henricus dignitatem regiam postponebat, & extra muneric sui pomoeria egressus ad gratiam Pontificis aucupandam, scripto quodam publico, acerbo fatis & duro, in LVTHERVUM, tanquam sceleratum & seditionis hominem, invehebatur, quod eum etiam invitum eo rededit, ut non tam adversus ipsum, quam ejus assentatores potius, duriusculis & liberioribus flosculis uteretur. Unde etiam, quare initio mansuetoribus, deinceps vero rigorosioribus verbis eum excepit, causas gravissimas ipse significare non erubuit, Scripto eam in rem edito, cuius rubrum est: *Auf des Königs zu Engelland Lästerschrifft Titel, Mart. Luthers Antwort 1527.* Nec aliter res comparata fuit cum Georgio, Saxoniae Duce. Initio quidem ejus reformandi instituto non penitus refragabatur, quod perspicimus ex T. III. Jen. Germ. fol. 190, sed ECCII consiliis ac fraudibus circumventus, subsequenti tempore infensissimus ejus doctrinae existebat hostis, cum quo & aliis Principibus, si LVTHERVUS duriuscule interdum congressus est, dandum est aliquid bonae causae, multis tamen crudelissimis persecutionibus obnoxiae.

§. V. (3) Denique potissimum rei momentum in